



SCHOLARVM
SCYLLAS et CHARYBDES

occasione

IVBILAEI SCHOLASTICI

quod

Vir Clarissimus

M. IO. ANDR. LVTHERVS

Conrektor et Collega

Gymnafii Freiberg.

viuendo attingebat,

in compendio repraesentat

et simul

ad haec solemnna

obferuanter inuitat

M. Io. Gottl. Bidermann. Rect.

FREIBERGAE,

Litteris Sam. Frider. Barthelii.

CXXIII.



Ea plerorumque hominum est indoles ac peruersa natura, ut vitaturi vitium in contraria currant. Id quod fabularum architecti pervulgato de SCYLLA et CHARYBDI figmento significare voluerunt, duobus monstris ad infestandos et perdendos homines compositis, quorum illud à שרר h. e. *spoliando* dictum, poeta his coloribus depingit; a)

*Hanc Scyllam caecis cohibet spelunca latebris,
Ora exsertantem et naues in saxa irabentem.
Prima hominis facies, et pulcro pectore virgo
Pube tenus, postrema immani corpore pistrinx,
Delphinum caudas utero commissa luporum, etc.*

hoc vero, quasi חר אבר, *foramen perditionis*, adpellatum, tali modo idem repraesentat; b)

*Dextrum Scylla latus, laevum implacata Charybdis
Obfidet, atque imo barathri ter gurgite vaso
Sorbet in abruptum fluctus, rursusque sub auras
Erigit alternos, et sidere verberat undas.*

Ex quo tritum illud proverbiū ortum traxit: *Incidit in Scyllam, qui vult vitare Charybdin*. In quo haec inest sententia; sunt certa negotia ardua et periculosa, in quibus summa opus est moderatione, ut neutram in partem pecces. c)

Vti vero in omni vitae genere facile in auia et praecipitia deflectitur; ita non est, quod dissimulemus, scholas etiam suos scopulos et syrtes habere, summa, qua fieri potest, cura et circumspectione diligenter evitandas. Siue enim consilia eorum intueamur, qui scholis patrocinium praestant, siue conditionem magistrorum spectemus, qui institutioni iuuentutis et administrandae disciplinae sunt praefecti, siue indolem parentum contemplemur, qui filios suos scholae tradunt, siue mores ipsorum discipulorum examinemus, liquido patet, quantum passim à recto tramite aberretur, ab officii debita ratione declinetur, atque *iliacos intra muros peccetur et extra*. d)

Quamvis enim nullo tempore viri cordati defuerint, qui haec vulnera et ulcera tangerent, damna et pericula in uniuersam rempubl. redundatura praedicerent, et de scholis sanandis deliberarent ac disputarent; experientia tamen iamdudum docuit atque adhuc docet, vere sensisse I. F. BVDDEVM, candide confessum: e) *quo plures legeris, qui de litterarum studiis recte instituendis, deque scholarum vitiiis emendandis egerunt, eo eris incertior, quo pacto haec emendatio sit instituenda*.

Namque ut ab iis ordiamur, qui curam scholarum suslinent, hos ipsos aperte confiteri et subinde conqueri audimus, se perinde atque alios homines erroribus obnoxios sapissime et falli et fallere. Hi nempe, provincia praecceptoris

a) *Virgil. L. III Aen. 420. sqq.*
d) *Horat. L. I. Ep. II. 16.*

b) l. c.

c) *Erasmi Chiliad. p. 1262.*

e) *Isagog. Hist. Theol. L. I. c. III. §. 14.*

ptoris in schola vacuefacta, animo praecidentes, se tam precibus ambientium quam multitudine commendantium obtusum atque in angustias redactum iri, hanc Charybdin euitaturi, opinione citius in Scyllam incidunt, istum scholae praeficientes, qui vel blanditiis in gratiam eorum sese insinuauit, vel cognatione aut familiaritate est coniunctus, quamuis vel nulla vel certe exigua notitia eorum sit instructus, quae ad ornandam illam Spartam requiruntur. Huius generis patrono, qui

- - imperitans aliis, seruit miser, atque ducitur, ut neruis alienis mobile lignum, f)

PLINIUS aurem vellicat, his verbis monens: g) hunc tibi proximum et hunc continentissimum existimes, quem optimum inuenieris. Qua mente ROLLINVS, iudex rei scholasticae peritissimus, auctor et suator est, h) ut gymnasiarchae ad docendam et regendam iuuentutem recipiant magistros probatae doctrinae, nec recipiant nisi eos, à quibus pueri litteras elegantiores discant, et bonis moribus imbuantur. Altera Scylla non minus periculi quam opposita Charybdis scholis minitatur, ubi nempe earum curatores vel omnem curam scholae solis magistris relinquant, vel praecceptores ad nulla omnino consilia de rebus scholasticis ineunda adhibent. Quo fit, ut magistri aut dominatum in schola adfectent, aut animum despondeant, videntes, se contemptui haberi. Tertius error in eo uersatur, si scholarum patroni alios praecceptores laudibus immeritis extollunt, et beneficiis obruant, alios autem iis priuant, uel reditus illorum imminuant. Quantum enim ii ab officii ratione declinant, qui indignos aliis praeclare merentibus praefecerunt, tantum detrimenti reip. tam scholasticae quam publicae comparant, qui necessaria uitae praesidia subtrahunt illis, quorum opera quotidie in negotiis laboriosissimis non minus quam utilissimis occupatur.

Iam uero ab iis, quorum patrocinio schola fruitor, ad Parentes progredimur, quos itidem in tot Scyllis quot in Charybdibus haerere uidemus. Alii enim, ineptissimi ingeniorum arbitri, non nisi eos filios litterarum studiis mancipant, quos ab opificum laboribus sordidis et durioribus abhorretere sentiant, quorum consilium post alios I. P. SPENERVS grauissime reprehendit, i) Alii nimis mature et ueluti implumes pullos suos euolare iubent; alii uero, ut hanc Scyllam fugiant, in Charybdin incidunt, filios nimis diu suis in amplexibus haerere patientes. Alii certum locum magistro praescribunt, a filio occupandum; alii iustum tempus designant, quo studia scholastica filius absoluat. Alii certis à lectionibus filium abesse praecipunt, ne ingenium et memoria illius copia audiendorum obtundatur. Alii, postquam filium magistro tradiderunt, omnem illius curam abiiciunt: alii autem tam à puero quam à magistro plura poseunt, quam uterque praestare ualet: quorum illos PLVTARCHVS recte obiurgat, k) οἷνες παιδαγωγοῖς καὶ διδασκαλοῖς ἐπιτεψαντες τὰς ψυχὰς, αὐτοὶ τῆς τέρας μαθητῶν ἕτε ἀνοποταὶ γινονται παραπαν, ἕτε αὐτῆμοι, h. e. qui, postquam magistris

f) Horat. L. II, Sat. VII. 81.

g) Panegy. Tract. VII. 5.

h) Maniere d' enseigner

P. I. p. 175.

i) in Goesii Elog. praecoc. Erud. p. 15.

k) de Educ. puer. c. XII. 9.

gistris et praeceptoribus filios commiserunt, ipsi eorum doctrinae omnino neque spectatores sunt, neque auditores; et quos pater HORATII pudefacit, qui

- - - custos incorruptissimus omnes
circum doctores aderat: l)

hi vero, canes festinantes caecos parere catulos, quod dicitur in proverbio, animo perpendere debebant. Plurimi autem parentes, (quae Scylla est omnium periculosissima,) omnis generis voluptates filii indulgent, et praeceptoris seu-riorem disciplinam atque boni ordinis seruandi studium grauius exprobrant; quam è contrario tanto pluribus encomiis magistros ornent, quanto frequen-tius et durius illi discipulos castigant. Alii caeco erga filios amore abrepti, omnem filiorum ignorantiam in praeceptores transferunt, ubi

- - - culpa docentis
scilicet arguitur, quod laeua in parte mamillae
nil salit Arcadio iuueni. m)

Alii sumtus in filii educationem necessarios adeo subterfugiunt et recusant,

- - - res nulla minoris
ut patri constet, quam filius. n)

Sed, relictis his scopulis, nunc magistros etiam et Praeceptores propius intueamur, qui ad alios impingunt. Tantum enim abest, ut hi naeuorum expertes sese putent, vel, quod LIVIVS olim in Romanis reprehendebat, o) nec vitia sua nec remedia ferre possint, ut potius, aliorum hominum exemplis admoniti, humana ab se haud esse aliena, sentiant. Vti vero omnis horum labor cum in litteris tradendis tum in moribus iuuenem formandis versatur: ita utrobique in Scyllam tam facile ruunt, quam in Charybdin. Quae mente Do-rotheus SICVRVS p) alios cum *fucis* comparat, qui profus indigni in docen-tium ordinem per fauorem magnatum allecti fuerunt, ideoque de scholae ho-nore haudquaquam sunt solliciti, sed ea duntaxat spectant commoda, quae ista ex dignitate percipiuntur; alios autem *crabrones* adpellat, qui praeslantium col-legarum famam inuidia lacerant, ut ipsi videantur, quod non sunt, et, quod reuera sunt, ne videantur. Nam, quem, quaeso, fructum polliceri sibi pote-runt, qui neque discendum ingenia probe explorant, neque ignaua alacriter excitant? Sunt enim, quae stupida putamus saepe, sed quae subito quasi è veterno quodam expergesta omnium in se admirationem conuertunt. Con-tra vero non minus illi magistri peccant, qui ingenia erecta et felicia festinando praecipitant, et discendorum copia ita obruunt, ut voluptas in taedium abeat, et omnis cupiditas discendi suffocetur. Porro illi neque suae famae neque discipulo-rum profectibus consulunt, qui in tradendis grammaticas et scientiarum prae-ceptis moras nectunt, in explicandis auctoribus nimis diu haerent, et planissima putidissimis tricis inuoluunt. Cui vitio qui mederi volunt, omnia leui brachio tractantes et longissima pensa cursim et obiter persequentes, ex Scylla in Cha-rybdin

l) L. I. Sat. 6.

o) Decad. I. praef.

m) *Iuuenal.* Sat. VII. 158.

p) in Prudent. Theol. p. 26. 37.

n) l. c. 182.

rybdin prolabantur, et obscuri plerumque fiunt, dum breues esse laborant. Neque errore illi carent, qui nonnisi vetera suis auditoribus commendant, antiqua probant, et quaelibet noua ne adspectu quidem aut lectu digna censent: quum tamen profecto cum liberalibus ingenijs male ageretur, si, interdicta ultra tendendi alacritate, nihil in publicum proferri liceret, cuius alium ante nos auctorem laudare non possemus. Pari vero culpa tenentur, qui omnia antiqua pipulo differunt, noua perpetuo crepantes, et nunc denique se natos esse, plaudentes, sibique mirifice placentes. Vtriusque generis homines poeta his verbis pungit:

Stulta haec inuidia est, cetera cuncta recentia sordent:

Inuida stultitia est, cui noua sola placent.

Alia in Scylla ii haerent, qui discipulis suis non nisi sublimia proponunt, ut iam in scholarum umbris polyhistores euadant. Quo consilio ea auditorum auribus insillant, quae horum captum longe superant, et neglectis fundamentis, ea calamo excipienda tradunt, quae ipsi olim in academijs conseripservunt, aut tam confuse de rebus arduis disserunt, ut discentes magno hiatu fumum et nebulas capent. Imo sunt, qui, quum Grammatices praecepta explicare, ad ima se demittere, iuuenesque per gradus perducere debebant, criticas observationes, quamuis saepe ieiunas et steriles, desistant, verborum aucupia conserfantes, et scrupulose omnes fere syllabas ad calculum reuocantes. E contrario in Charybdi laborant ii, qui perpetuo in nugis, affanis et minutis haerent, otio atque ingenio abutentes in iis euentilandis, quae Grammaticorum cruces, bonarum autem mentium scopuli et syrtes merito adpellantur. Qua de causa olim homines pagani christianos magistros publice criminabantur, obiiicientes iis, in ipsorum scholis adolescentes fieri stultos, quum viderent, eos neutiquam ad veram eruditionem, sed ad inanem ostentationem adduci, quae in nudis verbis consistebat, neque ullum usum in negotiis ciuilibus et republica pollicebatur. Et quia tantum scimus, quantum memoria tenemus, doctores scholarum, qui illam animae facultatem prorsus negligunt et torpescere patiuntur, tantum a recto tramite declinant, quantum illi errant, qui solam discentium memoriam exercent, vexant, atque eneruant, ea inprimis exigentes, quae in spem futurae obliuionis captantur, neque monitum rhetoris Romani sequentes: non scholae sed vitae esse discendum. Neque illi magistri sunt excusandi, qui discipulos ad elaborationem et stili exercitationem sua ipsorum industria tentandam non adsuafaciunt, sed omnia auditoribus in calamus dictant, quorum morem V. Cl. C. F. BAVMEISTERVS iusta reprehensione persequitur. q) Neque vero illi ferendi videntur, qui plura ab illis exigunt, quam praestare possunt, quia tali modo discentium studia in languorem et tandem in socordiam conuertuntur, siquidem proprio Marte quidquam tentare, et sine cortice natere non audent. His proxime tam ii accedunt, qui in educandis et instituendis adolescentibus genio saeculi nihil omnino tribuunt, quam ii, qui omnes bonas consuetudines, sapienti consilio a maioribus receptas, exterminant ac proseribunt. Hi, quia vident, multas scholas

Pedan-

q) Progr. de Dictatoribus perpetuis scholasticis in Exercit. Acad. et Schol. p. 179. sqq.

Pedantissimi macula deformari, et umbraticos in illis doctores Pedantarum nomine traduci, eorum officinas autem rectius ergastula quam liberalium artium promptuaria nominari; perdomandum hoc monstrum censentes, disciplinae habenas mirifice laxant, cultiorem Latinitatem, quam pro idolo pedantarum habent, loco mouent, et solidioris eruditionis praesidia, linguam Graecam atque Hebraicam, languidius ac remissius tractant, eloquentiae autem germanicae, fabularum, artisque histrionicae delicias auditoribus propinant, atque, ut paucis multa dicam, in Pedantissimi locum Galantissimum in scholam recipiunt. Et quoniam certis praemiis ac honoribus discentes exilimulari et possunt et debent, multa etiam hac in parte magister prudentia opus habet, ne ex Scylla in Charybdis incidat; id quod fit, si uel indignos altiori classi assignat, vel dignos ab ascensione retrahit: atque in eundem lapidem impingunt, qui bene meritos discipulos debitis laudibus priuant, et qui non merentes optime commendant. Hi fere periculosissimi sunt scopuli, à praepatore in *docendo* fugiendi: neque vero sunt pauciores, quasidem habita *disciplinae* ratione vitare debet. Quam exitiabilis enim ea est Scylla, quum magister verbis et moribus fastum et iactantiam praese fert: tam detestabilis ea est Charybdis, ubi plebeiam et abiectam viuendi rationem sequitur. Bene igitur ac sapienter iam olim *IVVENALIS* suae aetatis praepatores adhortatus est: r)

*Nil dictu foedum visuque haec limina tangat,
Intra quae puer est, etc.*

et eandem in sententiam *QVINTILIANVS*, s) Praepator, inquit, nec habeat vitia, nec ferat. Talis Iulius Genitor erat, quem *PLINIVS* s) Corelliae suae hisce verbis commendat: *Nihil ex hoc viro filius tuus audiet, nisi profuturum, et nihil discet, quod nescire rectius fuerit: huic eum trade praepatori, à quo mores primum, mox eloquentiam discat, quae male sine moribus discitur.* Et eadem de causa *SENECA* omnes ac singulos scholarum antistites monet: t) eos eligamus, qui vita simul docent, hoc est, qui, quum dixerint, quid faciendum sit, faciendo probant, qui docent, quid uitandum sit, nec vnquam in eo, quod fugiendum dicunt, deprehenduntur. Eum elige scholae adiutorem, quem magis admireris, quum videris, quam quum audieris. Neque ii magistri intra limites disciplinae se continent, qui in vitiis puniendis vel sunt iusto rigidiores et seueriores, vel nimia licentia inualefcere illa et impune grassari patiuntur. Qui enim ad istam Scyllam adhaerescunt, seruii disciplina iuuenes non corrigunt, sed ut pessima mancipia obdurant. Quod *PLVTARCHVS* suo suffragio comprobat: u) *δες τες παιδας επι τα καλα των επιτηδευματων αγειν παραινεσσειν και λογοις, μη μα Δια πληγαις, μηδ' αμικμοις, δοκει γαρ ταυτα τοις δελοις μαλλον η τοις ελευθεροις πρεπειν, αποναρκωσι γαρ και φριττασι προς τες ποινε, h. e. decet pueros ad studia honesta adducere ratione et adhortationibus, non vero plagis et contumeliis, quae videntur seruis magis quam liberis conuenire, quia obdu-*
rescunt

r) Sat. XIV, 44.

instit. Cap. XII. 1. 2 3.

s) Instit. L. II, c. 2.

t) Ep. II.

u) de puer.

rescunt et à laboribus abhorrent. Idem CICERO sentit dicens: w) in obiurgationibus necessariis id est agendum, ut ne hoc irati facere videamur, sed ut ad hoc genus castigandi raro et inuiti veniamus, nec unquam, nisi necessario, si nulla reperitur alia medicina: et castigatione quidem licet uti, ita tamen, ut seueritas grauitati adiuncta adhibeatur, ira autem et omnis contumelia repellatur. Contra vero in Charybdi versantur, qui discipulis omnis generis voluptates atque oblectamenta non inuident, quamuis sint humilia, pusilla atque iuania, exitu autem tristitia ac foeda. Et haec corrupta disciplina non parum eo alitur, si inter magistrum et discipulum nimia familiaritas intercedit. Quomodo enim ille praeceptor auctoritatem suam tuebitur, qui cum discipulo nugari, ludere, et tabernas vinarias aut cereuisiarias obire non erubescit?

Vltimo loco illae Scyllae et Charybdes indicari debebant, quae discipulis tantum damni adferunt, quantum famae eorum detrahunt. Quia autem maior earum est copia, quam ut huius chartae angustia capiat, ex plurimis potiores nominabimus. Peccant nimirum filii, qui parentum nobilitate, gloria, opibus et diuitiis confidentes, scholam non ea mente frequentant, ut studiis literarum seruiant, sed ut tempus nugando vel garriendo perdant, commilitones corruptelarum illecebris irretiant, et scholae plus dedecoris comparent, quam ornamenti. Ast alii è contrario, quamuis idoneo ingenio praediti, et discendi cupiditate flagrantes, vbi vident, parentes facultatum penuria laborare, vel ignominia a ditioribus se adfici, et Patronos, qui suam egestatem subleuent, deesse, animum despondent, et opus coeptum media ex incude tollunt. Porro sunt, qui caecam magistris obedientiam praestantes, nihil eorum ad trutinam expendant, quaecumque ille profert: sunt vero etiam, qui, male de praeceptore sentientes, quocumque loco et tempore possunt, famam eiusdem lacerant, eiusque fidem in suspitionem adducere, irreligiose nituntur. Sunt, qui tanta studiorum intemperie laborant, ut plura adpetant atque hauriant, quam digerere et concoquere possent. Ita enim, posthabito ordine, confusio primum locum occupat et postremum. Et quemadmodum, nisi iusto tempore occationes, repastinationes et tertiationes accurate ab agricolis obseruantur, et, nisi aliquandiu agris quies conceditur, quantumuis per naturam fertiles sint, pro frumento rubos, pro filigine fentes, et pro tritico infelix lolium et steriles auenas proferunt: ita iuuenis nihil egregii in literarum studiis praestabit, nisi ordine accurate seruato. His aduersum tenentur ii, qui omnia ad publicam institutionem referentes, domesticam praeparationem et repetitionem prorsus negligunt, et tempus à frequentanda schola vacuum vel nihil vel male agendo perdunt. Parum etiam sapiunt, qui felici ingenio praediti socios lenioris armaturae exhibitant et contemnunt, quam illi in contrarium curant, qui turpissimam ignauiam sectantes nullas contumelias vel castigationes curant, quorum indolem CICERO recte improbat, dicens: x) negligere, quid de se quisque sentiat, non solum arrogantis est, sed etiam omnino dissoluti. Neque ii recta incedunt via, qui studiis et libris ita adhaerent, ut in publicum nequidem prodeant, omnem enim aliis conuersationem subterfugientes: à quorum moribus è

con-

w) Offic. I. 38.

x) Offic. I. I. c. 28.

contrario illi omnino sunt alieni, qui, leuitate animi abrepti, frequentissime peregrinantur, et vel per forum et plateas volitant, vel lusu plus temporis conterunt, quam litteris impendunt.

Quae quum ita sint, quis non horreat mare illud, in quo tot Scyllae et Charybdes atrocissima pericula minantur? Quis non intelligit, recte dixisse PLINIUM: y) *Vt aliquis libenter educationis taedium suscipiat, non praemiis modo, verum etiam exquisitis adhortationibus impetrandum est.* Et quot sunt magistri, qui tot turbis septi, tot fannis expositi, tot curis excarnificati, et tot laboribus fracti, in puluere scholastico conulescere malint, quam ingrauescente aetate sarcinam deponere, finem laborum et molestiarum optare, et animi tranquillitati feruire? Imo quot sunt eorum, qui aliquandiu in hoc mari iactati, non sentiant, vires corporis atque animi alteri, frangi et consumi? Qua de causa, merito singularem felicitatem Domino Collegae et Conrectori nostri Gymnasii meritissimo gratulamur, qui hoc saxum per quinquaginta annos non solum strenue voluit, sed integris etiam adhuc viribus partes officii demandati fidelissime exsequitur,

- - - *nec tarda senectus debilitat vires animi, mutatur vigorem.* z)

Vt igitur, pietatis sensu commoti, scholae nostrae alumni, officio suo satisfaciunt, per aliquos voluntatis suae interpretes gratulando et vota faciendo gaudia sua publice declarabunt. Et quidem hoc ordine se excipient:

Cl. I.

I. G. Krause, Dresd. Gr.	F. A. Tzschökel, Freib. Gal.	I. G. Mende, Sibel. Germ.
I. E. Gülden, Ioh. Georg. L.	A. H. Klotzsch, Freib. L.	I. G. Gleisberg, Zschoch. Gm.
C. C. Braun, Hilbersd. L.	E. W. Schumacher, Fr. L.	C. F. Hennig, Fr. Gm.
F. T. Gärtner, Seifh. L.	G. B. Schmidt, Freib. L.	I. T. Frey, Geyer, Gm.
C. G. Wittich, Freib. Gal.	I. W. Wildenbain, Langh. L.	G. I. Dindorf, Rott. Gm.
G. H. C. Peschel, Freib. L.	C. G. Bernhardt, Wilsd. Gal.	I. G. Bidermann, Fr. L.
C. G. Kühn, Koenigsf. Gal.	Cl. II.	I. F. Efebke, Fr. G.
F. G. Fidler, Brand. L.	F. G. Kluge, Augusteb. L.	G. C. Kretschmar, Nidrsch. L.
F. E. Sandig, Biberst. Hebr.	C. G. Eckard, Pappend. L.	C. S. Kretschmar, Nidrsch. G.
I. G. Seifert, Dippold. L.	C. G. Hunger, Fr. L.	I. Freislebe, Freib. L.
I. F. Tittel, Tautenh. L.	G. C. L. Kretschmar, Conr. L.	Cl. IV.
S. F. Schulze, Freib. L.	G. W. Liebe, Freib. L.	G. I. Henselius, Fr. Germ.
I. G. Vhlemann, Ezd. L.	I. M. Schulze, Vlrjchs. B. L.	C. F. Seyfert, Oberneuen- fchoenb. Gm.
H. A. Hartmann, Frst. Gr.	I. G. Boerner, Burkersd. Ital.	D. G. Müller, Fr. Gm.
I. F. Biliz, Schönerst. L.	C. G. Funke, Freib. L.	E. F. Simon, Fr. Gm.
G. E. Brückner, Koew. L.	D. Fleischer, Prezschd. L.	G. D. Radspiller, Fr. Gm.
I. F. Hilscher, Frankb. L.	I. A. Richter, Niemeg. L.	I. G. Meinicke, Fr. Gm.
A. F. Maecke, Frauenst. L.	C. G. Weber, Miltiz. L.	I. C. F. Herrmann, Fr. G.
	Cl. III.	A. F. W. Findeisen, Fr. G.
	C. A. Ochs, Fr. Germ.	

Horum igitur honestos conatus vt praesentia, gratia, et beneuolentia Vestra, PATRONI et FAVTORES omnium ordinum honoratissimi, cras ante meridiem hora nona audita, adiuetis, ea, qua decet, animi religione atque obseruantia rogamus. Freib. d. XV. Iun. A. R. S. MDCCCLXVII.

y) L. I. Ep. 8.

z) Virg. Aen. IX, 610.

Yb 627

22

ULB Halle
001 508 164



3

(811148)

TA-204

VD 18







123
SCHOLARVM
SCYLLAS et CHARYBDES

occasione
IVBILAEI SCHOLASTICI
quod
Vir Clarissimus
M. IO. ANDR. LVTHERVS
Conrector et Collega
Gymnafii Freiberg.

viuendo attingebat,
in compendio repraesentat
et simul

ad haec solemnia
obferuanter inuitat

M. Io. Gottl. Bidermann. Rect.

FREIBERGAE,
Litteris Sam. Frider. Barthelii,

CXXIII.